



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 2. De visitatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO II.
DE VISITATIONE.
PUNCTA MEDITATIONIS.

- Lus. 1.*
- I. Exurgens Maria abiit in Montana & visitauit Elisabeth, ac S. Ioan. in utero matris gestiens sensit salutationem; Mater verò exclamauit: Benedicta tu inter mulieres. &c.
- II. B. V. in hoc Canticum præ letitia prorupit: Magnificat anima mea Dominum, &c.
- III. Mansit Maria, cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

FIGURÆ.

Iudit. 13 **I**VDITH in Bethuliã cum capite Holofernis reuersæ, & magno triumpho à toto populo receptæ, dixit Ozias princeps populi Israhel. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.*

1. Reg. 2. **A**NNA sterilis mater Samuelis, cum filium à Deo impetrasset, adorans Dominum dixit. *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

PRO-

PROPHETIÆ.

1. **A** Nima mea exultabit in Domino, & Psal. 34.
delectabitur super salutari suo.
2. Dominus ab utero vocauit me. Esa. 49.
3. Antequam exires de vulua sanctifica- Hier. 1.
ui te, & Prophetam in gentibus dedi te.

DOCUMENTA.

1. **B.** VIRGO, quātumuis ad summum di-
gnitatis culmē prouecta fuerit, vt esset
Dei mater, tamē humiliavit se, & Eli-
zabeth cognatæ multo se inferiori, instar an-
cillæ, seruiuit; vt suo exemplo discerent om-
nes in sublimi dignitatis gradu constituti, hoc
se rem magis dignam honore & laude facere,
quo amplius se demittunt, ad necessitates sub-
ditorum subleuandas, conuenienter illi dicto
sapiētis. *Quanto magnus es, humilia te in* Eccle. 3.
omnibus. 20.

2. Primum Christus visitauit infantulum
Ioannē; qua visitatione ille exultauit in utero,
& est sanctificatus; vt intelligamus, nihil boni
à nobis effici posse; nisi Dominus suę visitatio-
nis gratia nos proueniat. Si verò ab eo prauēti,
in eius laudibus prædicandis exultemus, &
ipsius gratiæ cooperemur, vna cū Ioanne iusti
& sancti efficiemur.

3. Si Elisabeth spiritu sancto plena, propter
ingressum Dei matris in domum suam, dixit.
Vnde hoc mihi meritum? Nos qui pleni sumus
peccatis, quid dicemus vel agemus, quando
idem Filius Dei dignatur ingredi Sacramen-
taliter domum spiritualem animæ nostrę, qua
humilitate, quo honore, qua reuerentia, qua

gratiarum actione, quibus denique operibus excipere deberemus tantum hospitem?

4. B. Virgo aduertens se laudari, beatamque pradicari ab Elizabeth dixit: Magnificat anima mea Dominum, nimirum, vt doceret nos, quando ob donum aliquod diuinitus acceptum, vel propter aliqua bona opera laudamur, non efferri gloria, nec placere nobis, sed omnem laudem transferre in auctorem Deum, à quo omnia bona & dona profluxerunt.

5. B. Virgo, cum iret visitatum Elisabeth iter confecit cum festinatione: at in domo cognata commorata est tres menses, vt exemplum daret foeminis omnibus, multum domi, parum in plateis harendi.

6. B. Virgo, mox, atque verbum aeternum in ipsam dilapsum est, se in viam dedit, celeriter progressa est, & montes superauit: Et nos, si bonorum operum exercitium defugiamus, si negligentes, si tardi simus in bono, si affixi maneamus rebus terrenis, & non mentem attollamus ad expetendas res caelestes, ad perfectionem virtutum signum est, Deum, gratiamque eius nondum habere sedem in anima nostra.

7. Vt B. Virgo ob beneficia ab eo accepta Dominum magnificauit, sic & nos eum ob beneficia recepta magnificare debemus, idque trifariam.

Primò, ea illi attribuendo, & ab eo profecta agnoscendo.

Secundo, reddendo pro illis gratias debitas.

Tertio, eadem vsurpando ad Dei cultum & gloriam.

8. Sicut B. V. Expleto caritatis officio domum redijt; ita nos absolutis negotijs ad proximi salutem spectantibus, ad nos redire, & nobis ipsis vacare debemus.

MEDI-